

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6939

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1166, 10 mai

Lieu d'émission : Le Mans

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Ordonnance pour la levée de deniers destinés au secours de la Terre Sainte.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLV, t. 1, p. 400-401.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 400.

Texte établi d'après a

Ego Henricus, Dei gratia rex Anglie, dux Normannie et Aquitanie, et comes Andegavie, apud Cenomanniam, proxima tertia feria post dominicam qua cantatur Misericordia Domini, primo cum ibi adessent archiepiscopus Rothomagensis et tres episcopi Normannie, et episcopus Cenomanensis, et quidam barones mei, iterato apud Cenomanniam, tertia feria post sequentem dominicam, cum adessent pariter tres archiepiscopi, Rothomagensis, Turonensis, Burdegalensis, et episcopi plures, Baiocensis, Luxoviensis, Sagiensis, Cenomanensis, Andegavensis, Vanetensis, Pictavensis, Engolismensis, Petragoricensis, Agenensis, Basacensis, et multi barones mei de Normannia, de Cenomannia, de Turonia, de Andegavia, de Britannia, de Guasconia, consilio et assensu omnium, petitione et precibus domini regis Francorum et exemplo suo, qui per terram suam similiter statuit fieri, statui ut ad defensionem et juvamen ecclesie et terre orientalis unusquisque de terris meis, de omni mobili quod habet, sive sit aurum sive argentum, absque lapidibus, sive animalia, sive nummi, sive quicquid sit absque vestibis incisis, et de redditibus similiter, det hoc anno M^oC^oLX^oVI^o de unaquaque libra duos denarios, deinde quatuor sequentibus annis de singulis libris singulos denarios. Hoc quoque faciat de culturis et vineis, ita quod non computetur sumptus et constamentum earum ; hoc etiam de debitis de quibus recipiendis certitudinem habent. Hoc faciant archiepiscopi, episcopi, abbates qui regale habent, et clerici, comites, barones, vavasores, milites, cives, burgenses, rustici. Omnis homo domum habens et non valorem libre det unum denarium. Homo non habens valorem libre, et tamen aliquod officium agens, det unum denarium. Statutum hoc ego primus manu propria me observaturum affidavi in manu archiepiscopi Rothomagensis, deinde archiepiscopi, episcopi, comites, barones, vavasores, sub fide ponentes quod idem faciemus affidare omnes sub potestate nostra constitutos. Hoc itaque ab omnibus qui prenominati sunt per omnes terras meas fieri precipio. Elemosina ista solvetur a die Sancti Remigii infra dies XV. sequentes. Et si quem infra hunc terminum mori contigerit, prius solutis debitis suis decimam partem sue partis dabit in hanc

elemosinam. Et erit truncus in omnibus civitatibus, et in ecclesia episcopali et per singulas villas in ecclesiis, ubi quisque post juramentum ita fideliter mittet, rebus suis diligenter numeratis, quicquid ex eis modo predicto colligi poterit, ita veraciter ne infringat juramentum, neque incidat in excommunicationem, que fiat super eos qui aliquid defraudaverint. Truncus vero habebit tres claves, quarum unam custodiet presbyter, duas fideliores viri de parochia. Infra festum quidem Omnium Sanctorum pecunia in villis collecta ad episcopatum deferatur per eosdem qui collegerunt et per alios legitimos testes. Deinde simul colligetur per terras meas ubi ego assignavero per archiepiscopos et episcopos qui mecum ad hoc statuendum interfuerint. Condonata est tertia pars penitentie sue omnibus qui fideliter de rebus suis hanc elemosinam persolverint.
Hec acta sunt anno ab incarnatione Domini MCLXVI.